

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Epistolarvm [epistolarum] D. Philippi Melanchthonis Farrago

Melanchthon, Philipp

Basileae, 1565

VD16 -M3220

Venerádo uiro,eruditione & uirtute prestanti,D.Cyriaco Spangebergio,
amico suo, S.D.

[urn:nbn:de:bsz:31-312770](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-312770)

consolationem, quæ extat in Esaie concionibus ubi inquit Deus: Ego Ecclesiam condidi, ego gestabo eam, etiam in senecta, & canescetem. Et quo maior senectæ infirmitas, eo magis ipsam curæ esse Deo speremus. Talibus consolationibus, ut te in hoc tanto dolore tuo erigas, ualde te adhortor. Etsi autem uideo qui terrores nobis proponantur: tamen spero filium Dei, Dominum nostrum Iesum Christum nobis adfuturum esse, inuocantibus ipsum, & moderatè necessaria faciētibus. Vestram deliberationem cum nostris sententijs congruere iudico, qua de re in altera Epistola scripsi prolixius. Bene & feliciter uale. Die 22 Ianuarij. 1549.

Venerādo uiro, eruditione & uirtute præstanti, D. Cyriaco Spangebergio, amico suo, S. D.

Reuerendum uirum, eruditione, pietate & omnibus uirtutibus præstantem, patrem tuum, dominum Ioannē Spangebergiū, & propter ipsius multa ornāmēta, et quia fidelis et salutaris doctor fuit, dilexi, & ueneratus sum: & amicitia nostra spero in æternæ Ecclesiæ consuetudine fruemur. Etsi autem extant eius monumenta, & memoriam ipsius posteritas in Ecclesia retinebit: tamen gratitudinis est nostræ, talia de ipso scripta inuentuti proponere, qualia & antè de bene meritis edidimus: quorum

quorum studia, mores, labores recensuimus ut honesta exempla. Puto te legisse epicedion & orationem de Crucigero. Itaq; uellem isthic à D. Mencilio conscribi Epicedion, & à uobis narrari ei domesticam consuetudinem in studijs, precatione, & similibus exercitijs: quæ si sciremus, curassem multo antè hic aliquid scribi. Publicos labores nouimus: sed ego libenter & quædam domestica exemplâ adspargo. Bene uale, et salutem dicito meis uerbis fratri & Mencilio. Die 16 Augusti, Anno 1550.

Reuerendo uiro, eruditione & pietate præstati, domino Ioanni Spangebergio, Episcopo & pastori Ecclesiæ Dei in Isleben fideli, amico suo colendo,

S. D.

Reuerende uir, et amice charissime: Magna consolatio pijs proposita est in dicto Psalmi: Generationi rectorum benedicetur. Hanc nocem dulcissimam in hac tua senectâ intuens, filios tuos honestos et eruditos, sæpe cogitatio: ac Deo gratias ago, qui tuæ senectuti tales filios donauit. Nos libenter ei doctrinæ testimonium tribuimus, & loco ornauimus natu maiorum, ut uirtus etiam ipsius meretur. Nec depones beneuolentiâ erga nos etiam, propter falsos clamores quorûdam, qui calumnias contra nos spargunt. Ipsi filij tui testes erunt, nec doctrinæ uo-

SPANG.